c menſes ciêre. Contra uenena tritam cum uino ſumptam ualere. Cõcoctionem præterea roborare, dolorem uentriculi & inteſtinorũ à frigiditate aut flatibus ortum, decoctam in uino ſanare ait. Mirificè etiam ad interna uulnera huius herbæ decoctum confert. Externa uerò ex ea collui debent.

DE CENTAVRIO MINORE▸ CAP▸ CXLIIII▸

NOMINA.

Centaurium unde dictum.

KENTAYPION μικρὸν, ἢ λιμνήσιον, καὶ λιμναῖον Græcis, Febrifuga & Fel terræ Latinis, officinis Centauria minor, Germanis klein Tauſendguldenkraut/Fieberkraut/Erdtgall/& Biberkraut appellatur. Centaurium, quod ea curatus dicit Chiron Centaurus, cum Herculis excepti hoſpitio pertractanti arma ſagitta excidiſſet in pedem. Limneſion & Limnæum, quod ſecundũ aquarum ſcatebras ac paludes, quas Græci λίμνας dicunt, naſcatur. Febrifuga, eo quod febres fugat, & procul è corpore pellat. Fel terræ, ob ſummam quam habet amaritudinem.

Limneſium.

Febrifuga.

Fel terræ.

FORMA.

Herba eſt Hyperico Origanóue ſimilis, caulem habens altitudine ſupra dodrantem, anguloſum. Flores in puniceo colore ſubpurpuraſcentes, ad Lychnidis flores accedentes. Foliis paruis & oblongis ueluti Rutæ. Semen tritico ſimile. Radicem exiguam, inutilem & leuem.

LOCVS.

Propter lacus & rigua loca, Dioſcoride autore, naſcitur. Apuleio uerò teſte in ſolidis & fortibus quoque locis prouenit, id quod non raro in Germania noſtra accidere compertum habeo.

TEMPVS.

Floret æſtate & autumno, quo maximè tempore, quia ſemine eſt prægnans, colligitur.

TEMPERAMENTVM.

In foliis & floribus uincit qualitas amara paululum obtinens adſtrictionis, atque propter eiuſmodi temperamentum admodum exiccatorium eſt medicamentum, expers mordacitatis.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Herba ipſa adhuc uirens tuſa & illita uulnera glutinat. Vlcera uetera purgat, & cicatrice obducit. Bilioſa & craſſa per aluum ducit. Decoctum eiuſdem iſchiadicis cõmodè infunditur, ſanguinem educens, & à dolore leuans. Succus ad oculorum medicamenta perutilis, cum melle quæ pupillas obtenebrant expurgans. In peſſo admotus menſes ac fœtus educit. Priuatim potus neruorum affectibus ſuccurrit.

EX GALENO.

Centaurij minoris radix prorſus inefficax eſt. Rami uerò & potiſsimum folia quæ in ijs ſunt atque flores, utiliora. Vlcera magna herba ipſa adhuc recens illita glutinat. Vetera quoque & quæ ægrè ad cicatricem perduci poſſunt eodem modo utentibus cicatrice obducuntur. Arefacta glutinatorijs & deſiccatorijs miſcetur facultatibus, ijs uidelicet quæ ſinus & fiſtulas ſanare ſunt natæ, & ueteres durities emollire, tum ulcerum maligna ſanare. Miſcetur etiam ijs quæ rheumaticis affectibus medentur, in quibus ea medicamenta optima ſunt quæ uehementer deſiccantia cum quadam adſtrictione nullam habent mordacitatem. Decoctum herbę quidam iſchiadicis infundunt, ceu bilioſa ac craſſa ducens: nam & talia purgat. Quanquam quum adeò uehementer operabitur ut cruenta euacuet, tunc magis proderit. Suc-

CENTAVRIVM MINVS.